

Dissertatio inauguralis medica de impotentia virili ... / [Konrad Rose].

Contributors

Rose, Konrad, 1686-
Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Litteris Krebsianis, [1712]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/e3fepjf3>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE

IMPOTENTIA VIRILI,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO

GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE WESTPHALIAE, & reliqua,

SVB PRÆSIDIO

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

HEREDITARII in Schwarza/
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI,
SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM CONSILIARII
ET ARCHIATRI,

THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII,
*Patroni, & Præceptoris sui pietatis, honoris & obseruantia cultu ætatem
deuenerandi,*

PRO LICENTIA

Summos in arte Medica honores, Insignia, & PRIVILEGIA DOCTO-
RALIA, more Maiorum, rite capeffendi,
publico eruditorum examini submissa

CONRADO ROSE, Lippia Westph.

IN AVDITORIO MAIORI,

Horis ante- & pomeridianis consuetis, Ad diem 9. Iul. M DCC XII.

IENÆ, Litteris KREBSIANIS.

VIRIS

*Nobilissimis, Amplissimis, atque
Consultissimis,*

DN. CONRADO HILDEBRAN-
DO ROSE,

Patriæ urbis Lippiæ Consuli longe
grauissimo;

Nec non

DN. CONRADO LAMBERTO
SINNEMANNO,


eiusdem Lippiæ
Syndico longe Spectatissimo,
Patriæ patribus optimis,

Dominis Patruelibus.

ea qua par est obseruantia colendis,

*hancce Inauguralem Dissertationem sacram
esse voluit, debuit*

CONRAD ROSE.



L. N. L.

PRÆFAMEN.

VT vir a vi, seu virtute dictus, iuxta Philologos, ita non vna notione in considerationem venit. Duplex vero potissimum hæc statui potest: physica & moralis, ex quibus iunctis tertia fluit, seu media.

Vir sine dubio primario spectandus & noscendus ut masculus, seu ratione sexus, contradistinctus a fœmina; deinde ratione ætatis, distinctus itidem a puero, & sene grandævo.

Idem porro distinguendus altero modo, seu animo, virum enim cordatum esse decet, & fortem, non abiecto & molli animo, lege item, ut maritus vxoris connubio gaudens, non solitarius. Quorsum & illud spectat: vestis virum facit.

Restat & tertius modus, seu medius, ex morali & physico mixtus, in quo concurrunt priora vtraque,

maritale consortium, & in eo exercenda ἀνόντα, seu
 ἄνεσις, usus, in sacris & profanis laudatus, foeminæ
 debitus.

In singulis hem vir viro quid præstet, ut cum
Poeta Comico loquamur. Vti enim ut virum ubique
 se præstet opus est, ita non raro præternaturaliter id
 exercere nequit.

Sicuti vero hoc medicum ad forum pertinet, in-
 quirere & curare, ita operæ pretium visum fuit, de
 IMPOTENTIA VIRILI, loco Dissertationis Inaugu-
 ralis, dispicere. Hoc ut feliciter euenire iubeat DEVS,
 ter optimus, ter maximus, deuote precamur!

CAPVT I.

Evolutionem nominis inquiri.



Um elegantissima sit Philologia etiam medica,
 licet parum communiter, vel a paucioribus æ-
 stimata, non inconsultum erit, illam & circa
 impotentiam virilem paulo euoluere. Vtut
 vero reliquis contra non multa de hac respectiue apud ve-
 teres occurrant; nec illa tamen nulla sunt, maxime apud
 medicorum antiquorum Principem, *Coum*, quæ delibari
 non indigna sunt.

Occurrunt apud eundem in genere τὰ ἀφροδισια, seu
venerea, l. 2. epid. s. 2. t. 48. quo nomine ipsa iam dudum
 venere paulo castius hæc opera, naturalissima scilicet, quæ
 si

si intra terminos suos maneant, tantum abest, ut turpitudinem quandam inferant, ut potius sint sacratissima, & toti humano generi summe necessaria & celebratissima, ab ipso diuino numine benedicta.

Ipsa vero ἀδυναμία, seu *impotentia*, latius quidem patet, etiam apud ipsum *Hippocratem*, quid vero in genere sit, & quoduplex, optime docet *Ionstonus* nos. in *Coacas eiusdem* t. 54. p. m. 42. ἀδυναμία, inquit, cernitur tum in actionibus, quæ πρῶταις fiunt; ut sunt principes, sensitiuæ & motrices, (animales) tum in illis, quæ ἀπεραιοτάς, ut sunt vitales & naturales. Hoc vero loco specialius paulo accipitur pro ἀδυναμία, in officio puta maritali, seu venereo, quæ de singulis communicat, a viribus enim omnes & singulæ dependent.

Neque tamen in specie desunt apud fontem hunc sapientiæ antiquæ loca de hac ipsamet. Sic l. de septim. quamvis pro spurio habito, t. 19. recte scribit: ad conceptionem foeminæ a viro expectandam, ὅταν τὸ ἄρρεν ὠργημένον ἢ καλῶς πρὸς τὸ καταβάλλειν γένεσιν ῥυθμὸν, quando vir ad eam rem demittendam promptus prestoque sit.

Imo & curatius l. 2. *Predictor.* c. 45. eos nominat, qui ab affectu ischiadico κατὰ τὸ αἰδοῖν ἐπαίρειν ἀδυνατέουσι, & *impotentes sunt ad arrigendum pudendum*. Adde quod l. de aer. aqu. & loc. c. 51. t. 6. ἀνανδρείω nominat, *euirationem*, ut sic loquamur, & ἀνανδρωδῆναι, *euirari*, c. 52. t. 6. Ita etiam vocantur hi ipsi, eodem autore, ἐνάρμες, *effæminati*, l. c. c. 49. t. 4. Meminit etiam ευνυχώδεις, & ευνυχωδεύεσθαι *impotentissimos*, l. de aer. aqu. & loc. c. 52. t. 2. ita enim vocat non tam castratos, eunuchos & spadones arte factos, quam illis similes, ineptos si non ad coeundum, (quod *Smetius* etiam re-

fert de quodam maniaco, qui sibi ipsi testes absciderat, & tamen ad rem veneream exercendam idoneus fuit,) tamen ad generandum.

Vocantur alias *euirati*, *elumbes*, *inefficaces*, ad opera venerea exercenda, *frigidi*, *ignavi*, *torpidi*, qui ἀπραντα habent μόρα, flaccida & imbellia membra, ne plura huc accessamus.

Notanter vero, quando impotentia dicitur affectus, subintelligendum vel addendum est: virilis, maritalis, conjugalis, vel, quod *Duretus* addit curate, subeundi.

Enimvero est, fit, seu fieri dicitur hinc μίξις *mixtio*, carnalis puta, Germanis etiam modeste *fleischlich vermischen*, vulgo coitus, vel coitio, λαγνείη, vtraque Hippocrati dudum sic vocata. Cum itaque potentia vel impotentia hoc loco prædicetur vnice de συνστοία, seu *cobabitatione* viri cum foemina, & hæ duæ sint causæ sociæ, quæ stant pro vna, aliis omnibus huius generis contra, hinc proprie loquendo & vsitate impotentia audit, ex parte sexus masculini, in pro-gignenda sobole.

Impotentia hæc porro alia est proprie dicta, seu suo sensu naturalis, secundum naturam, non morbosa, seu præter naturam. Adeoque pueri & senes, rude donati, in sua latitudine considerati, proprie non dicuntur laborare impotentia. Sed iuuenum & virorum hoc opus est, qui per naturam & ætatem potentes esse solent, & debent.

DEFINIRI potest impotentia virilis, actio generandi læsa, imminuta vel abolita, ab inhabilitate organi & seminis prolifici.

GENVS seu ratio formalis huius affectus in actione generandi læsa vtrique consistit, cum ad hanc, si rem accurate pensitemus, potiora huius rei capita sint reducenda.

Notabile hinc est, generationem concipi hoc loco non
tam

tam in complexu integro, vtrique sexui communi & con-
nexo, sed saltim a parte melioris. Alias enim coniunctim
de virili æque ac foeminino dicendum foret, quod seorsim
etiam fieri solet, & licet pro lubitu. Vtut enim ratum ac
necessum sit, per dicta, & verbis *Coi, τὴν γένεσιν γίνεσθαι μὴ
ἀφ' ἑνός, generationem non fieri ab vno, l. de nat. hum. c. 4. t.*
1. vnde & absoluta & respectiva datur vtriusque considera-
tio, inprimis quando improles est coniugium; attamen cum
a potiori fiat merito denominatio, satis fuerit de partibus
viri saltim disquisitionem proseguere.

Deinde etiam actio generandi latius accipi debet, &
generalius, non quam actu imprægnatio sequitur, sed qua
ἔνωσις ὀφειλομένη, complexus coniugalis perficitur.

Liceat proinde, vt hoc symptoma actionis læsæ natura-
lis, & speciatim genitalis, magis illustretur, actus huius re-
quisita necessaria, quæ & in thoro & in foro æstimantur,
verbo tangere. Cum enim vir generet in alio, iuxta *Phi-*
losophum l. 1. de generat. animal. c. 2. vt foemina ex alio, ne-
cessum est, vt fiat debita immissio.

Neque enim audiendæ sunt fabulæ, quæ referunt emi-
nus etiam obuium semen raptum fuisse vel peruenisse ad vte-
rum, indeque imprægnatam foeminam, nulla *μιξίς* actuali,
facta, vel in balneo, in quo infessum viri secuta sit, vel ad-
missione prætenfa insufficienti.

Necessum porro est, vt fiat emissio, ad completum sci-
licet actum, & quidem principalis finis, generationis, obti-
nendi, feminis foecundi, seu consequenter imprægnatio.
Priora illa duo viro debentur, tertium cum commune sit
vtrisque coeuntibus, accedente benedictione diuina, non
necessarium absolute, sed vir qui debitum suum sufficienter
& complete perficere valet, pro potente merito proclama-
tur,

tur, vel habetur; & sic potens præsumitur omnino ad generandum, seu liberos procreandos aptus, & contra. Neque enim omnis potentia subeundi est foecunda, tum ex parte viri, tum foeminæ.

Frustra itaque est potentia, maxime hoc loco, & declaratur merito, quæ non producit in actum. Actus scilicet hic est alius signatus, alius exercitus, & de hoc est sermo vnice. *Μίξις* enim & *συνστοία* omnis requirit contactum substantialem, seu corporeum, vnde amore impotente deperit vir foeminam, qui amorem exequi, debitum maritale soluere, & officii sui partes præstare ineptus est, ac impotens; vnde *ἀδυνὴς πρὸς μίξιν*, debilis ad coitum etiam audit *Coo*.

CAPVT II.

Subiectum exhibet.

Non sufficit solum, medicum scire, quo morbo quis laboret, sed cognitum quoque vt habeat, oportet, in quo sit, & partem affectam noscat, vt remedia debito loco applicare possit.

SVBIECTVM itaque totale recipiens, seu subiectum vt QVOD, est vir in ætatis flore vel quasi adhuc constitutus, de eo enim prædicatur, quod laboret impotentia. Speciale autem & subiectum QVO sunt organa generationi propria.

Antequam vero ad ætiologiam pergimus, prius secundum ordinem partes illas, in quibus rei cardo vertitur, illarumque functiones, in quantum huc pertinent, breuiter delibare æquum est.

Partes nempe genitales in maribus optime, & mechanice vna, videntur concipi & illustrari posse, si consideremus (1.) fontes (2.) cisternas, (3.) siphonem, & (4.) in actum deductum opus. Ita enim, vi contrariorum, omnia melius patere queunt, quando hæc actio vel in totum, vel in tantum exerceri nequit.

Fontes qui elaborant, fundunt & scaturiunt ac suppeditant semen, sunt testes, & epididymides: cisternæ asseruantes prostata & vesiculæ seminales; siphon pressione exantlans liquorem genitalem est ipse penis, seu membrum virile, hinc speciatim dictum.

De testium ipsorum substantia variæ hypotheses legi possunt apud *Rolfincium Tr. de part. generat. part. 1. cap. 16.* ne *Plazzonum*, *Grassium*, aliosque, & anatomicos passim laudemus; hodiernis experimentis conformiter statui videtur optime posse substantia glandulosa - vasculosa. Constare enim statuimus ex meris miculis glandosis, fibrillis nerueis intertextis copiosis, & ductu intermedio, velut in pancreate, præter alia vasa communia intertexta.

Videtur id persuaderi (1.) ex *anatomia*, substantia enim est quasi granulata, qualis in capitibus papaveris recentibus occurrit quoque, vel in ficibus inprimis. (2.) Fibrillæ nerueæ ex tunica neruea in substantiam insertæ copiosæ & separabiles, quales ibidem separare integrum est, dimota pulpa granulosa mox visendas. (3.) Ductus in medio centrali perlatus cum suis ramulis minoribus lateralibus, quem videtur *Higbmorus* quoque observasse. Sed modus prosecandi vulgaris id minus suggerit.

Faciunt huc quatuor vasa dicta spermatica, duæ arteriæ, totidemque venæ; illæ ortum ducunt ab arteria magna, & arteria emulgente, hæ ex vena caua & emulgente ad te-

res pergentes. Sanguis per arterias spermaticas ad testes, extra cauitatem abdominis propendentes, fertur, ibique in vascula tenuissima serum spirituosum dispensatur; reliquus vero sanguis per venas spermaticas, perque venam cauam & emulgentem ad suum reuehitur fontem.

Serum hoc alibile ac spirituosum, per ductus hos tenuissimos propulsum, & per fermentum immutatum, vt seminis naturam induat, peruenit vterius ad epididymides seu parastatas, velut cohobium & conuassationem vterius subiturum, vt eo melius seminalis materia elaboretur & perficiatur.

Semen hinc e feri flore, in testibus ac epididymidibus secretum, per vasa deferentia, quæ a testibus oriuntur, ac in abdominis cauitatem ingrediuntur, ad vesiculas seminales defertur; in quibus colligitur ac asseruatur, donec suo tempore (coitus) vna cum liquore prostatico per pressionem, quasi instar mercurii viui, in siphonem laudatum concedat, & per eius elaterem intensum & extensum, præcipue quoad corpora neruosa lateralia, imo quoad totum, in naturam muliebre debite effundatur.

Id omne vero cessat in impotentia hac morbosa, nihil minus quam de hoc cogitatur, silent potius omnia & effœrum vel funeratum est membrum, alias tam viuudum, & facile assurgens, nec audit currus habenas, etiam obuio obiecto amabili, & occasionem suggerente portitoribus etiam amoris omnis spiritibus.

Adde, quod vel abolita sit actio perfecte maiori gradu, vel imminuta, ne de ipsa deprauata quoque dicamus, quæ aliquando ipsi abolitæ æquipollet, siquidem ob hanc perfici non possit.


Accidit hoc gemino modo, partim ob *ιδιопάθειαν*, essentialē lēSIONem, & vitium proprium: partim ob *δύσπρεσ-
πά-*

πρὸς τὴν, & consensum aliarum partium, seu totius, seu certæ huius vel illius, aliunde illata labe, de quibus causis iam agendum venit.

CAPVT III.

L3

Causas exponens.

 Vm non vna eademque sit causarum conditio, effectum hunc post se relinquentium, vel inuitantium quoque, sed maxima inter illas intercedat differentia, nostrum omnino erit, vt in omnes & singulas legitimo obseruato ordine inquiramus.

Perinde vero est, an, quod iam in definitione tetigimus, laudemus pro PROXIMA & IMMEDIATA CAUSA inhabilitatem organi & seminis prolifici, intuitu mechanicæ, modo substat vitalitati; an a potiori, seu ipsa vitalitate, ad hoc etiam principium vitæ nouæ directæ, *lesionem facultatis genitalis*, a qua principaliter hic effectus dependet, sed inclusis itidem & subintellectis organis.

CAUSA MEDIATA PROXIMIOR est ὀργανικὸς genitalis centralis deficiens, spirituum & humorum, elatere penis, non actuator. Hoc ipso nomine comprehendi possunt omnia ad constitutionem naturalem positue, & hoc loco priuatue, concurrentia. Enimuero vt τὸ ὄργανον solenniter de animantibus, omnibus inprimis lasciuioribus, prædicatur, & non solum libidinem & pruritum, sed etiam turgescientiam partium concurrentium intensiuam & extensiuam comprehendit: ita contrariis his iuxta se positis omnia melius elucescunt.

Singula hæc in impotentia deficiunt, magis vel minus, cum aliqua latitudine non exigua. Vti vero triplici modo pec-

cant humores, & in iis hospitantes spiritus, quantitate, qualitate & motu, ita hic idem applicandum omnino. Ut porro quantitas & qualitas constituunt, inferunt, & variant motum, ita & hic contingit. Quando enim deficit semen & spiritus in quantitate, nec suppetit amplius, quando in qualitate, non calidum, non viuendum, non actiuum est, sed frigidum, aquosum, iners est, quando siccum quasi; quando corruptum, ichorosum, morbosum, nil inde speraueris *ἀξίον ἔργον*.

Verbo, constitutio partium læsa est etiam huius impotentiae, tanquam symptomatis actionis læsæ, causa, v. g. intemperies frigida, & humida, vel sicca, imo & calida & sicca, abnuens, operis huius, tum vniuersalis, tum particularis partium specificarum, seu speciei propagandæ deuitarum.

Eleganter hæc complexus est *Hippocrates* 5. *aphor.* 63. Cum enim præmisisset, quæ in sequiori sexu *τὴν κρείσιν σύμμετρον*, & *quabilem temperiem uteri* habent, ad generationem aptas esse, subiungit: Par est de maribus ratio. Aut enim ob corporis raritatem spiritus foras fertur, ita ut genituram funderenequeat; aut propter densitatem humor foras non exilit; aut præ frigiditate non incenditur, ut eo loci coaceruari possit; aut propter caliditatem id ipsum illi euenit.

Cumque generationis opus supponat abundantiam nutritionis & auctoris, neque tam supplementum vel complementum in facultate naturali, quoad indiuiduum, sed *πλεονασμὸν*, in speciei redundantem multiplicationem, respiciat, atque requirat, necessario elicitur, quotiescunque in hoc defectus est, non posse expectari vel sperari effectum desideratum prius, quam remoueantur, omni modo possibili, remoræ, defectus, obstacula.

Hinc quando spiritus & humores alimentarij parciores sunt in corpore, ut vix nutriendo inseruiant, nedum mate-
riam

riam seminis suppeditare possit, siue hoc fiat ob senium, siue ob morbum prægressum, aut ieiunium diuturnum, vitiumque tenuem, siue tandem per medicamenta semen extinguantia, aliaque laudanda, necessum est, euenire impotentiam, sanorum enim hoc opus est, non ægrorum.

Idem dictum esto de morbis conformationis, obstructionibus neruorum, pororum subsidentia, tumoribus aliisque, in causis præternaturalibus specialius recensendis. Imo morbi solutæ vnitatis eandem ludunt fabulam, vulnera, ulcera, contusiones aliaque; vno verbo subruta mechanica organorum genitalium, & impellentibus spiritibus, sanguine, lympa, si, quæ ad actum naturalissimum requiruntur, non concurrunt, & symbolum suum quælibet conferunt, necessum est, ignauiam, flacciditatem, inertiam, torporem inferri, & quasi emortua reddi membra.

In summa, resultat omnis culpa vel in facultatem, dictis modis, & suo sensu recepto loquendi usu, læsam, vel in errorem externum. Qualis enim sanguis & serum, calidum & humidum, elementum hominis nati, tale etiam est semen elementum hominis producendi, per generationem.

Quod si ergo lustremus causas quoque REMOTIORES, ex NATVRALIBVS; ratione ÆTATIS, incapaces quidem sunt ordinariæ & in annis incrementi primi, & decrementi mediæ & vltimi; & ipsa tamen illa confert aliquid suo loco. In pueris quidem sanguine & lympa elastica, inflatio penis contingit & visitur non raro, sed illa genitalis non est, præterquam in genituo, vt ita loquamur. Quod si vero in pueritiæ annis immatura venus celebrata fuerit, vel sollicitata, tonus partium illarum peruertitur, & semen *πεπυσµένον* & consistentiam debitam & perfectionem sortiri nequit, despe-

rata subsequa impotentia, quo de pluribus legi meretur *Hierius obs. 10. p. 140. seq.*

Cum enim natura de conseruando indiuiduo ac de augmento illius sit sollicita, & seminis futuram materiam in partium absumat incrementum, plane incongruum est, de venere cogitare.

Cum vero ætas decrementi, quæ senum est, non solum ratione virium aliarum, sed & naturalium harum dicatur, ipsa sua natura ad hanc sunt dispositi senes, eoque magis, quo ad finem vitæ sunt propiores. Hinc tres velut casus potiores nominat *Aristoteles de generat. animalium l. 1. cap. 18.* semen, *inquiens*, nec in prima ætate, neque in senectute, neque in morbo est: Carent senes, quia non satis eorum natura semen potest concoquere.

Neque tamen soli senes in hoc patiuntur suos manes, quin & virilibus annis videas idem accidere, & viridem senectam etiam latius exporrectam foecundam, pro robore vel debilitate naturæ.

Non parum ad impotentiam confert & TEMPERAMENTVM, inprimis frigidum & siccum, senili magis conforme & simile. Notat quippe elementorum vitalium, & seminis consequenter, minus commodum modum; siue vniuersale lustremus, siue particulare. Ad vtrumque spectat & frigidum & humidum, seu phlegmaticum, quod in eodem calidum, omnis motus vitalis autor, sit depressum & sub dominio humidi.

Idem valet de temperamento particulari testium con- simili, seu connato, seu adscititio, vnde vel nulli vel pauci generantur liberi, & consequenter saltem imminuta est generandi potentia. Tacemus ex collatione temperamentorum vtriusque coniugis etiam generationem masculorum & foeminarum modificari posse.

Nec sicco transeundus pede HABITVS CORPORIS, cum & ille non minima seu causa, seu signum huius vitii esse possit. Obesiores siquidem respectiue minori gaudent *ὀρεζασι* & stimulo. *Plinius natur. histor. L. XI. cap. 37.* steriliora, *inquit*, cuncta pingua & in maribus & in foeminis.

Nec abnuat DISPOSITIO HEREDITARIA. Enimuero, experientia teste, dantur familiæ aliæ præ aliis magis ad venerem, & generandum aptæ, foecundæ vel minus tales, saltem remote. Hinc uti dantur moraliter serui natura, ita in suo genere etiam impotentes, vel eunuchi, consimiliter & physice.

Præterimus silentio INFLVXVM ASTRALEM ipsum, qui & suo loco in his quoque non de nihilo est, ut attendatur. Ex illa enim hypothese Saturnus imprimis impotentiae fauet, quando luminarium intuitu, quæ principiis vitalibus præfunt, ut ita loquamur, ex astris, soli, qui calido, lunæ, quæ humido velificatur in luculæ vitalis originibus, coindicat, vel contrarium obtinet. Communiter vero Venus & Luna radiis maleficorum tacti putantur aliquid conferre. Saturnum & Martem in ariete steriles facere, scribitur apud *Schenckium in obs.*

Visendæ porro & CAUSÆ NONNATVRALES, & primo oco AER, cuius in laxando & stringendo vis est maxima, pro caloris & frigoris modulo, ad partes genitales corrugandas & dilatandas. Aer summe frigidus ac borealis tam penis musculis, quam sphincteris vesicæ paralytin inferre potest. Memorabile exemplum refertur *Ephem. N. C. Dec. 4. anno 5. obs. 41.* Viri cuiusdam, qui in extremo hyemis frigore aliquot horarum spatio equo vectus in paralytin membri genitalis incidit, unde impotentia coeundi est subsecuta, nulla iterum arte curanda. Sic & qui in aquis frigidis exercent sua opificia,

ficia, visi sunt non raro inde retulisse tumores testium, & illis neglectis abscessum, ulcerationem, & ineptitudinem ipsam generandi.

Facit huc victus tenuis & exquisitus, inedia, ieiunia, abstinencia indebita. Defectus enim alimentorum & fames diutius protracta tantum abest vt superfluum aliquid speciei foeneret, vt potius vix indiuiduo sustinendo sufficiat. Imprimis idem de potu nimio Thee & Coffi valet, viderem enim extinguere tum ratio, tum experientia probat. Conf. *Olear. itiner. Persic. L. 5. cap. 17.* ac *Simon Pauli l. de abusu tabaci & herba Thee.*

Ebrietas quoque hic merito tangenda est; quod si quis enim in illa nimium excedat, non solum aquosum nimisque tenue sperma conficit, sed & spirituum iacturam infert, corpus debile & infirmum efficit, tremores parit, spiritusque tandem plane extinguit. Plura de his elegantissima videri merentur apud *Rosinum Lentilium, iatromemat. part. 2. c. 34. de frigidity virili p. 650.*

Memorari hic possunt etiam assumpta alia, seu medicamenta, seu venena, & quasi talia. Sic elegans observatio est *Christiani Langii notis in Fabrum*, qui observavit viro honorati nominis ex familiari spiritus vitrioli usu, quo infirmitatem stomachi corrigere allaborabat, (sine vlla sanioris iactura) pudendum vna cum testibus exhaustum & exrenuatum fuisse, vt amittendæ adesset virilitatis periculum, qua tamen remota consuetudine, integritatem, generosioribus præsidis reffectus, virilem ex voto recepit, postea multæ sobolis pater factus. Sic nitrosa eo nomine meminit in libidine excessiva extinguenda *Timæus* profuisse. Sic amara & mentha ipsa sunt antaphrodisiaca, vnde *Cous ipse l. 2. de diet. cap. 26. t. 11.* id confirmat, quod si quis sæpe eam comedat,

medat, semen genitale colliquefaciat, vt diffuat, *addit*:
 καὶ ἐκτείνειν κωλύει, & *arrigere probibet*, & corpus debile facit;
 ne de Saturninis, vt saccharo Saturni, & camphoratis ipsis di-
 camus, de quibus notus est versiculus:

Campbora per nares castrat odore mares,
 quod tamen cum grano salis est intelligendum. Sic tabaci
 fumus nimius reuera euirat, quod suo damno experti sunt
 καπνόφιλοι in excessu, quod experientia reuera constat, & ra-
 tio confirmat, quod lympham alimentariam plus iusto ab-
 sumunt.

Nec indictus relinquendus MOTVS, vehementior inpri-
 mis, qui fit equitatu fortiori ac succussorio. Hinc enim fa-
 cile sanguis p. n. incallescere ac in motum rapidiorem con-
 citari potest, ita vt ad partes genitales præceps dilabatur,
 hæ vero inflammationem ac extensionem inde patiantur.
 Accedit non raro testium ipsorum incallescencia, contusio &
 pressio.

Exemplum adducit *Fabricius Hildanus cent. 5. obs. 55.* de
 viro quodam quadragenario robusto, qui a multis annis post
 equitationem vehementem defluxione humorum ad penem
 & præputium correptus est, ita vt mox quoque membrum
 virile & scrotum intumuerint: nonnunquam etiam talis
 durities in pene & ipso præputio remanserit, vt intra duo-
 rum mensium spatium illud retro glandem trahere non
 posset.

Simile & *Schenkius* exemplum recenset de generoso quo-
 dam Barone, qui cum maximis itineribus, equum sæpius mu-
 tans, ad comitia tenderet, testiculorum alterum in ephippio
 contorquens ita prescit, vt introrsum ad infimos abdominis
 musculos in inguen adigeret, vnde nulla arte reduci potuit,
 qui tandem febri diem suum obire coactus est. Proinde

& Scythæ ex hac causa euirati dicuntur ab *Hippocrate libr. de aer. aquis & locis.*

Nec EXCRETA prætereunda nobis, inter quæ præsertim nimia liquoris seminalis in adolescentia & iuuentute eiaculatio collocanda est. Etenim excretionem hac intempestiuam vasa spermatica insigniter debilitantur, ut eo citius illi, qui adolescentes adhuc scortationibus aliisque illicitis seminis excretionibus sunt dediti, eneruentur, & ad venerem fiant ignauiores, adeoque sit ἐκσφαιρωθέν ἀνδρῶν ἢ ἰσχύς, exhaustum ipsorum robur virile.

Qui VIGILIIS, laboribus, lucubrationibus ac meditationibus nimis indulgent continuo, facile amittere virilitatem solent. Spiritus enim absumendo omnes partes eneruantur, qui tamen quam maxime in ludis venereis præsto esse debent.

Agmen claudunt ANIMI PATHEMATA, ut signum & ut causa considerata. Vti enim præsumitur ad congressum libido, quæ velut gaudii species est eximia, ad amplexus & oscula mouens, spiritus congregans, & ad genitale centrum citans, ad arma velut vocans venerea: ita quicunque affectus ab hac sphaera abeunt & declinant, contrarium inferre apta nata sunt.

Nec pudor ipse, vel timor potius & diffidentia sui tacenda. Cum quidam iuuenis dubitaret se potentem esse, medicum consulens, eique neganti idem non credens experimentum illegitimum facere conatus, reuera frustra fuit. Hoc ut retulit denuo medico, responsum tulit, id factum ob malam conscientiam, quandoquidem reueritus illam, certamen expertus ab hoc remorsu, ut refugerent spiritus, hinc legitimo thori connubio sociatus contrarium satis ostendit.

Alius coniugatus sentit spiritus refugos, secum habitat,
anxius

anxius & timibundus, animatus vero a sponsa, de prætenſa hac *ἀδωμμία* diſquirente, erexit animum & vires, virum ſe abunde præſtans.

Cum ergo nihil magis animum afficiat ac amor, vinculaque coniugii firmet, & quaſi clavis trabalibus iungat, quid mirum, ſi odium inter coniuges diſſoluat & diſſociet animorum & corporum nexum, dum a ſe inuicem abhorrent, odioque ſe proſequuntur? Hinc fit, vt viro ab huiusmodi actu plane alieno non ſuppeditentur ſpiritus ſufficientes, quibus ſurgere debent genitalia debito tempore congreſſus.

Idem dicendum de *terrore & triftitia*, iraque ipſa implicita, odio & auerſatione, quæ omnia ſpiritus a circumferentia, ab extremis, ad cor reuocant, diuertunt, abalienant, vt loco ſympathiæ natiuæ & ſymbolicæ potius recurrant & refugiant. Singula quaſi hæc illuſtrat *Cous*, exemplo laudatorum viuendi genere Scytharum, quorum inertiam & ignauiam tum frigido aeri adſcribit, hyemi fere perpetuæ, tum equitationi continuæ, tum nimix corporis humiditati, molliciei & frigiditati, doloribus iſchiadicis, arthriticis, & aliis, *l. c. de aer. aq. & loc. c. 47. ſeqq.*

EX PRÆTERNATVRALIVM CAUſARVM claſſe non pauci huc conferunt morbi alii, qui impotentiam cauſare poſſunt. Faciunt huc ex *vniverſalibus* febris hectica, atrophia, phthiſis, cachexia, ſcorbutus, hydrops, aliique diuturni. Ex *particularibus* apoplexia, hemiplexia, paralyſis, quæ eneruant vires, & ſeorſim naturales ac genitales.

De ipſis maniacis notabile eſt, quod viribus quidem polleant robuſtis, & ſatis potentes ſe gerant, ſed ſæpius ſemine carent, vt laſſent ſatis ſuperque fœminas, & ad nauſeam fatigent, ſed fruſtra, ob ſiccitatem. Sic a quartana in ſalacitate admodum decurtatos teſtatur *Helmontius l. Inſe-
duumuir. p. m. 247.*

Seorsim etiam morbi partium genitalium in culpa sunt. Sic gonorrhœa tum simplex, tum maligna, & testium hanc intemperiem infert, & flacciditatem, & maxime vasorum & vesicularum seminalium elaterem infringit.

Tale exemplum prostat apud *Lazarum Riuerium Centur. 4. obs. 70.* de viro nobili 30. annos nato, qui cum a prima adolescentia veneri admodum indulisset, & diuturnam gonorrhœam esset passus, tandem in veneris incidit impotentiam.

Idem de conformatione horum organorum læsa vel incongrua verum est, & deficiente; siue defectus iste a primo ortu iam deprehendatur, siue per alium fatalem quandam casum illatus sit. Sic *Georg. Horstius Oper. medic. tom. 2. l. 4. obs. & epistol. medicinal. 55.* refert: se vidisse in puero, nouem circiter annos nato, testibus omnino ipsum caruisse, cute istius loci consolidata.

Idem, ab aliis visum, limitationem patitur, quando intestati illi intra corpus habuere reconditos virilitatis testes. Exempla videri possunt apud *Mæb. Fundam. medic. physiolog. cap. 19. de usu part. genital. in maribus p. 463.*

Memoranda hic quoque testium nimia magnitudo, nec non eorum vitiosa corrugatio & imminutio, quale exemplum refert *Vidus Vidius, de curat. membr. l. 11. cap. 2.* de monacho quodam, cuius testes etsi in adolescentia moderatam magnitudinem a natura essent adepti, nihilominus tamen processu temporis, ob votum castitatis inuiolabiliter ab eo multis annis obseruatum, fere penitus contabuerant, vasaque spermatica eiusdem adeo exaruerant, vt cum eius cadauer post mortem secaretur, exsiccatorum neruorum, ceu durorum ligamentorum potius imaginem præ se ferrent.

Pertinent huc eorundem collisiones, contusiones, inflamm.

flammationes, vulnera, abscessus, tumores scirrhusi, sarcocele, cirsocele, vlcera, inprimis fistulæ in vtroque, quales impotentiaæ autores visæ sunt aliquoties, destructo penitus & diruto tono seminali, idque longe magis, si a contagio venereo foueantur, vel exorta fuerint.

Sic & speciatim impotentiaæ sedes in cole genitali hæret. Longior si fuerit, breuior vel crassior, accidentario quidem magis huc fecerit, & rarius, neque sic tamen culpa, caret omni. Obseruata etiam aliquando fuit nimia crassities in pene, loco debito inferri inepta, & in foro competenti, loco iustæ exceptionis, depicta etiam.

Contra ea nimia breuitas in vitio est, oriunda vel vitio naturali, vel a retractu, pressione fortiori & strictura continuata muscutorum, tendinum & vasorum, a spasmo, calculo renum, hernia, senio &c. *Vid. Rolfin. de part. genital. viror. part. 1. cap. 45. p. 93.* Sic & *Forestus* refert l. 28. obs. 56. se penem in pistore vidisse adeo breuem, vt pollicem non excederet, qui nunquam genuit. Talem mirandam penis obliterationem in duobus herniosis vidimus, vt vix vestigium vrinarii meatus se offerret.

Tacemus abscissionem ipsam, qualem hodie Turcæ celebrant, non contenti, vel fidentes castrationi solita, per excisionem testium in eunuchis. In aliis vero casu vel studio idem accidit, quale fatum ante paucos annos in vicino pago adulterium tentaturus rusticus expertus est, male ab amasia mulctatus.

Vti autem pendulum hoc, nisi tendi & arrigi possit, imbelles est, ita & conformatio alia inconcinna idem efficit. Talis est tortuosa obliquitas & peruersio, siue a natura, siue a frænuli breuitate, a lue venerea, ab hydrope, & aliis, vt minimum semen non recta via immittatur. Ita *Hollerius* l.

5. aphor. comm. 63. vidimus *inquit*, qui membro ita obtorto non poterat gignere, quod semen semper hæsitaret in vteri ceruice.

Spectat etiam huc penis paralytis particularis, a senio vel alia quadam causa contracta, ita ut parcius vel nullus spirituum animalium fiat influxus. Referri huc potest & resolutio temporaria, illata a mercurialium applicatione. Sic idem fit non solum a salivatione mercuriali completa, sed etiam particulari, & cingulo dicto sapientiæ Rulandi, pro scabie & aliis vñibus, applicato, inde enim notata est ordinarie impotentia talis.

Huc quoque referimus, quando male formatum est membrum, & vñthrae foramen, per quod eiacularur semen, non in glandis summitate, sed circa radicem vel inferius lateraliter conspicitur, unde seminis eiaculario in vterum fieri haud potest. Vid. *Schenck. obs. l. 4. p. 523.* Ita natus generosus puer non pendulum habebat membrum, sed firmiter in longitudine scroto connatum, qui, cum moreretur maturius, vel impotentia certo futurae momento solamen parentibus relinquebat.

Non solum porro vlcera & fistulae testium, maxime vtriusque, sed & penis hic in censum veniunt. Hæc vero vel sunt in glande, vel in præputio, quibus adiungimus fistulas perinæ, quatenus semen alias per vñthram eiacularandum, per hanc fistulam egreditur. Vid. *Langius l. 3. Epist. 5.*

Tandem quoque laborantes phimosi & paraphimosi præternaturali magis, impotentes ut plurimum efficiuntur. Ex vtraque enim membri erectio vel directio, si non cum incuruatione quadam, saltem non sine dolore instituitur. Exemplum colis incuruari videri potest apud *Tulpium l. 3. obseru. 39.*

Referri huc quoque possunt vulnera alia, ipsaque venæsectio, seu largius effuso & depauperato sanguine, & sic refrigerato corpore, seu nervis aliquando laxis. Ita vulnus in sura observatum fuit a *Ballonio Epidem. p. 262.* impotentiam post se reliquisse. Et inter alias causas præcipue in *Scythis* laudat *Hippocrates* venarum sectionem pone aures *l. c.*

A secto calculo & consequenter vesiculis seminalibus vno latere fieri aliter nequit, quin isto lædantur, atque hi quidem generare possunt; si vero ob maioris vel inæqualioris calculi extractionem omnes vesicularum ac glandosi corporis viæ lacerantur, utique hinc fiunt steriles, quo de legi possunt, qui de his scripsere.

Sic sterilitatem, (ut latius vocat,) ex male reposita hernia notavit *Sculletus armament. chirurg. obs. 67. p. m. 304.* Tacemus tubercula & cancerum circa glandem & colem exorta, de quibus *Celsus* agit *l. 6. cap. 18. p. 603.*

Agmen tandem claudunt causæ SUPERNATURALES, vulgo dictæ, quo nomine famosa est impotentia a fascino, seu ligatura, innodatione, seu aliis illicitis modis inducta. Vt enim non promiscue omnis eiusmodi actio naturalis læsa, ad fascinum sit referenda, & causæ aliæ naturales, cum primis ex animi pathematibus, concurrant, quod *Borello* concedi debet; attamen nullam omnino dari, tum experientiæ contrariatur, tum rationi, si dæmonis nocendi vim nouerimus.

Testata sunt idem exempla tristia, allata ab *Harsdörffero Theatr. histor. Cent. 1. c. 59. p. 211.* & aliis. Quin & Persæ prompti sunt in ligulis nectendis, si *Oleario l. 5. cap. 22.* credimus. Ideo sponsi sponsæque delegati, (ipsi enim non comparent,) in loco secreto, aut in campo a Molla, i. e. Presbytero, coram Casi copulantur. Sin Casi autem, a negotiis impeditus, co-

ram tribunali id exigit, adstantes omnes digitos suos extendere iubentur, ne quid fascini sublit.

Notatum est a fide dignissimis testibus, in hac vrbe olim per duos annos misere decubuisse & elanguisse impotentem talem redditum maritum, alias sanissimum, a cuius morte demum, cum ædes diruerentur, indusium sponsale cum sceletto galli inuolutum in pariete intergerino domus, quam possederat, repertum fuit. Tacemus exempla alia similiter notata etiam cum corpore delicti, vt ita vocemus. Audiebant hi iam olim *deuoti*, teste *Tibullo l. 3. el. 5.* vbi vid. *Comment. item maleficiati.*

CAPVT IV.

De

Differentiis.

I.

Ratione GENERIS alia est a primo ortu, seu connata, alia accidentaria; alia imperfecta & improprietatis dicta, alia absoluta, & completa, alia secundum quid; alia vera, alia imaginaria.

2. Ratione TEMPORIS alia recens est, alia inueterata, alia interpolata, alia curabilis, alia incurabilis.

3. Ratione SVBIECTI alia existit in iunioribus, alia in senibus, alia per essentiam, alia per consensum accidit.


4. Ratione CAUSARVM, alia a facultate læsa, alia ab errore externo; alia naturalis, alia nonnaturalis, alia morbosa & præternaturalis; alia a toto, alia a parte.

CAPVT

CAPVT V.

De

Signis.

bsoluta parte παθολογικῇ, proximum est, vt ad SEMIOTICAM, tanquam vniuersæ medicinæ fulcrum, progrediamur.

Quamuis autem ad dignoscendum hunc affectum haud multa requiri videantur signa, cum vel ægri ipsi id fateantur, vel fateri debeant; cum tamen curatio causis, quas & per signa intelligimus, respondere debeat, tantum abest, vt ista vilipendenda sint, vt potius accurate inuestiganda.

ESSENTIALE PATHOGNOMICVM signum constituit defectus spirituum, virium, seminis, conatus, impulsus, nisus. Inde enim vel in totum, vel in tantum virilitas decollans arguitur.

Cumque vel in coelibatu id disquiratur viuentibus, vel in coniugatis, in vtrisque quædam est differentia. In illis quidem non raro putatitia, vel sola abstinencia quasi domestica facta. Non raro enim autumant se impotentes viri, & non sunt. In his, si quidem constans sit, nec restituatur, præsentelicer debito affectu, nec sociata opera incentiua libidinis suggerat, si accusetur eo nomine vel inculpetur maritus, cum vel sine spe aliqua restitutionis, mora aliqua consulto concedi solet a consistoriis, seu expectatio.

ESSENTIALITER CONSEQUENTIA idem confirmant signa alia, terror, auersatio, pudor intempestiuus, propter suam impotentiam se semper credunt negligi, vt *Poeta* loquitur *Adelpb. IV. 3.*

Non etiam sufficit, ipsam incusari impotentiam, sed

D

modus

modus etiam noscendus & inquirendus merito. In aliis enim pura puta est coeundi impossibilitas, in aliis intentata, sed imperfecta, coitio, statim profuso, ante debitum ingressum, torido nectare. Visæ sunt coniuges non raro contentæ vixisse, neque illud curasse, in aliis vero idem curatum optime, modo dicto essent audientes. In aliis nulla penitus fit emissio, vel insufficiens & inepta ad agendum. Communiter vero qui potentes sunt, præsumuntur non inepti ad generandum.

Quando itaque in foro de hoc instituitur quæstio, de omnibus & singulis circumstantiis diiudicandum est, utrum absoluta sit impotentia, an saltem secundum quid, eaque an improporcionata, & pro nulla habenda. Hinc inspectio partium iniungenda, eaque necessaria, quas inuitissimus quisque, verbis *Celsi*, alteri ostendit.

Ita enim morbi conformationis partium genitalium, utpote magnitudo, breuitas, crassities, defectus, phimosis, paraphimosis, ulcera, obstructions, clausuræ, distorsiones &c. ex autopsia apparent. Nam hic manus medici oculatæ sunt, creduntque quod vident, siquidem vitia hæc externa occul-
tari haud possunt.

Idem de fontibus CAUSARVM iudicandum est. Vri enim exempti sunt optimo iure senes, præterquam, si aquilinæ senectæ vigorem a DEO O.M. seruent integrum: ita quæ ex ætate teneriori & senectute decrepita proueniunt impotentia causa, eorum signa diutius inquirere non opus est, cum vel ipsa ætas signum nobis esse possit, ex qua causa impotentia dignoscenda est. Nec totius quoque corporis intemperiei signa, ob insignem eorum frequentiam, fusius hic eruemus, cum illa ex suo deriuari possint fonte.

Si vero alimenta & medicamenta semen vel imminuendo,
vel

vel virtutem eius extinguendo impotentiam causata sunt, ex ipsis hominibus morbo hoc affectis quærendo rescire licet, quæue adhibuerint medicamenta, quibus cognitis, facili negotio in causas intimius inquiri poterit. Merbos, ieiunia, largas denique hæmorrhagias cognoscendi signis opus non est. Obesitas vel gracilitas, quia in oculos cadunt, signum quoque nobis esse possunt, ad dignoscendam mali eius originem. Quando odium inter coniugatos in causa est impotentia, id vel ipsa experientia, vel ex relatione innotescit.

Ad signa causæ supranaturalis diiudicanda, caute progrediendum est. Vti vero non temere ad hæc delabi par est, & prætextum aliquando frustraneum inde quærunt ægri: ita si quis vegetus alias ac robustus, in ætatis flore adhuc constitutus, si nullo prægresso morbo, nullo odio vel auersatione affectus, manifeste sentiat, se ex abrupto defraudari suo genio, & ad venerem exercendam fieri ineptum, imo cum coniuge cohabiturum anxium reddi & frustra nexum tentare; tum etiam si quis colem antea satis intendere potuit, & genitalem pruritum persensit, ast præsentē vxore membrum flaccescit & friget, sane impotentiam istam a fascino inductam esse, augurari tuto possumus.

Signa SVBIECTI specialis huius vel illius circumstantiæ notatæ suggerunt. Quidam vno testiculo fistulato reddito generabat prolem, sed vnam saltim. Alius, geminato malo in vtroque teste, plane sterilis & impotens diffamabatur ab ipsa salaciori coniuge.

Quod PROGNOsin attinet, non tam de SALVTE & MORTE hoc casu, quam de curandi possibilitate quæstio est. Dum enim vires annique sinunt, adiuuare possunt omnino præsidia naturalia roborantia. Quæ a morbis aliis fouetur, illis curatis finitur; quæ ab er-

rore externo illata, hoc correcto vel omisso sperare salutem potest, sed a facultate læsa alia res est; ubiuis proportionē virium naturalium, & sic genitalium, ex vitalibus & animalibus æstimanda. Alioqui vero impotentia per se nec sanitati, nec vitæ productioni derogat. Quod si vero a fascino, vel hæctica, vel contractura, vel alia mala inducta sint grauiora, visi sunt misere periisse ægri.

TEMPVS durationis quod attinet, cum hic morbus diuersus sit, respectu patientis ac causarum, diætæ aliarumque circumstantiarum, nihil certi de illo absolute determinare licet, dum alii promptius, alii difficilius, alii plane non medelam admittunt. Quapropter sæpius ad multos annos, imo ad vitæ finem hic producitur.

MODVS EVENTVS in maleficiatis aliquando ad *mortem* tendit, vt exhausto elementorum vitalium fomite, lento marasmo ægri moriantur; ad *salutem* vero, iisdem sibi redditis.

CAPVT VI.

De

Curatione.

CVRATIO ipsa methodi medendi legibus merito innititur, absoluenda indicationibus fundamentalibus.

CVRATORIA, ad ductum *Graffii l. de part. genit. p. 159.* perficitur, spiritus animales non minus ac sanguinis seminisque copiam & motum augmentibus, ac musculos contractione sua sanguinem in nervosis corporibus retinentes roborantibus, vt adeo ad motum specificum debitum dirigantur & spirituosæ & fluidæ & solidæ elasticæ partes concurrentes.

PRÆSERVATORIA causis remouendis debetur, tum vni-

uer-

uersalibus, febribus, cacochymia, scorbuto, lvi venerea & aliis, tum particularibus quibuscunque circa genitales partes obuiis remoris. VITALIS tonum virium & robur tuetur, vt saluis machinae totius votis omnia debite, citra vllum excessum, & non inuita Minerva, fiant.

MATERIAM PRÆSIDIORVM suppeditant fontes vſitati, Chirurgicus, Pharmaceuticus & Diætericus. Ex CHIRURGICO VENÆSECTIO vix ac ne vix quidem directe in impotentibus iuuandis obtinere potest locum, cum indirecte saltem venæ sectæ, verbis Hippocratis, ἀναπνὸν ποιέσων τὸν ἀνδρῶνα, infœcundum faciant hominem, l. de loc. in hom. c. 8. t. 6. manifesto indicio tantum abesse, vt egeant hi ægri depletionis sanguinis, vt potius eodem opus habeant magis. Idem dicendum de CVCVRBITVLIS cum scarificatione, aliisque depletoriis præſidiis, quæ singula contraindicantur potius.

Neque ideo tamen destituit & Chirurgia impotentes, quin salutarem opem certis casibus iisdem præbeat. Sic rarius occurrit casus membri longioris, quod alias breuiori præferunt contra Philosophum l. 1. hist. anim. c. 6. longe rectius. Posito tamen illo casu, culcitra proportionata succurri potest interposita, aliisque adminiculis.

Sed de breuitate longe notabilior est obseruatio Epiphaniij Ferdinandi histor. 95. p. 328. quam integram excerpere iuuat. Refert nempe quendam iuuenem 24. annos habentem, qui pluries importune etiam remedia ab ipso poposcit contra virgæ breuitatem. Desperans primitus, & vix ausus aliquid suadere, coactus iussit quædam balnea ex hydræleo, malua, althæa, branca vrsina, viola, brassica adhibere; iussit vero seorsim, vt secum gereret frustum plumbeum in pene ligatum, quod per annum gessit, & res ei ex voto successit, & adiutus hisce virgæ longitudinem sibi optatam recuperauit.

Ita phimosis præternaturalis chirurgia eget. Bis sua manu secuisse scribit *Heerius* præputium in iis, qui coitu glandem nudam nudare non poterant. In alio verrucas amputavit, & aliorum meminit, quæ huc pertinent, plurimum *obs.* 7. p. 115. Confer. *Celsus* l. 7. c. 25. p. 667. Phimoseos quoque curatio videri potest apud *Aquapendentem oper. Chirurg. part.* 1. c. 62.

Quædam etiam talia tolerari possunt, non adeo excludentia actum omnem, ut nodi minores, quædam curari desiderant, ut fistulæ, gonorrhœa, bubones, lues venerea ipsa, singula pro indicationum modulo pertractanda.

Tacemus machinas alias aliquando inuentas pro apparando magis aditu, & celebrando actu commodius, qualem nouimus aliquando pro toto corpore crassiori excogitatam & inuentam laudatamque. Pertinet huc & ab *Hollerio* memoratum s. *aph. com.* 63. p. 574. experimentum. Vidimus, *inquit*, qui membro obtorto non poterant gignere, quod semen semper restitaret in ceruice vteri. Huic paratus est canaliculus plumbeus, vel argenteus, accommodatus crassitudini ipsius penis, in quem immisso pene circumpositæ & alligatæ sunt cistellæ, ita ut tandem figuram membri rectam ac naturalem recuperarit, & genuerit.

Ex PHARMACEVTICO penu vberitum depromi queunt, pro indicantium modulo, euacuantia & alterantia omnis generis interna & externa.

Ad euacuantia generalia, seu communia, referri possunt, si sanguinis vitiosa qualitas aut cacochymia simplex vel scorbutica adfuerit, PURGANTIA. Enimvero serositatem nimiam hæc deplere norunt, & velificari e suis oculis communi causæ & propriæ, illi ad alios morbos, huic in seminis & testium affectibus. Obseruatum est, non raro exstimulatam fuisse a pur-

a purgantium acrimonia venerem, vt vicissim in senibus ab aphrodisiacis aluum solutam.

Satis sit, metiri quemque suo modulo, & vel cholagogis, vel plegmagogis inprimis, satisfacere indicationibus, in feminis vitis etiam mercurialibus ipsis. Aloetica vero putrilagini ichorescenti quidem contraria, sed seminis proventui minus fauent. Præstant *rhubarberina*, *gialapina*, *belleborata* ipsa, & exinde selectiora, præparata, extracta, pulueres, pilulæ.

Idem dictum esto de VOMITORIIIS, quæ, si veneni suspicio subfit, apprime enervant peregrina assumpta, nedum si ex primis viis humores vitiosi exturbandi fuerint, adhibenda leniora & correctiora, vt *ipecacuanba*, *tartarus emeticus* &c.

DIAPHORETICA & DIVRETICA lymphæ glandulosæ & seminali apprime debita, & hoc loco v. g. tumores testium, hydrocelen, hydropem ipsum & cachexiam optime corrigunt; præcipue etiam fermentum venereum peregrinum ipsum, si ex illo capite labes contracta fuerit. Talia sunt *antimonium diaphor. martiale cachecticum*, *arcan. duplicat. liquor. C. C. succinatus*, *rob ebulli*, *Ra bezoardica essentif. ess. liquor. mixtura antiscorbutica*, *ess. antimonii*, *succini* &c.

Ex DIVRETICIS seorsim huc spectant cantharides, non nisi refracta hinc dosi dandæ, & miscendæ cum aliis: pollent enim sale volatili acerrimo, in vesicam & genitalia liquabili, vnde non solum ardorem indicibilem & stranguriam inferunt, verum etiam ad spasmos & priapismum ipsum, ad miæum cruentum stimulant & sollicitant, quale notabile exemplum refert *Cabrolus*. Gaudent tamen suo antidoto, lacte & emulsionibus, quæ ipsæ extra hunc casum veneri minus fauent, quod *Ballonius* confirmat & testatur.

Cum vero res omnis potissimum in exuscitatione spirituum,

tuum, referendis obstructionibus, & roborandis nervis consistat, facile erit, & quæ id præstent specificè sub confortantium titulo complecti, & una sic origini & insertioni, foco & loco respectiue, causæ & effectui adæquare, & adaptare, adeoque debilitati motus tonici velificari efficaciter, materiæ & formæ, seu motui ipsi ac ὀργασμῷ debito.

Sic ex simplicibus vegetabilibus laudari merentur radix *ari*, *eryngii*, *orchidum*, *allii*, *ceparum*, *bulbocastani*, *solani tuberosi*, *sifari*, *napi*. Ex herbis *eruca*, *cocblearia*, *lepidium*, *nasturtium* omne, *thymus*, *satureia*, *ocimum*. Fructus *scolymi* esculenti; aromata omnia, *caryophylli* aromatici, *cubeba*, *piper* omne, *macis*, *crocus*, *cardamomum*, *grana paradisi*, *zingiber*; semen *bombacis*, *eruce*, *sinapios*, *fraxini*, *anthera musci terrestris cluati*, *boletus ceruinus* &c.

Ex animalium classe *scincus marinus*, *nidus avis*, *priapus cerui*, ne *cantharides* repetamus: *spiritus formicarum simpl. & compos.* *Lauremberg. moschata*.

Ex præparatis aliis laudanda *pulu.* *aperitiuus ambrat.* & *gemm. confect.* *alkerm.* *c. a. & m.* omnia enim ex ambra parata, ob vim balsamicam roborantem spiritus & calorem natium, sunt longe conuenientissima, ut ipsa in *substantia*, *essentia* eiusdem, *simplex & composita*; item *succolada Inda & Hispanica*, *spec. diatr. piper.* *sirup.* & *electuarium diasatyrii*, *eleosaccharum cinamomi*, cum *specifico cephalico*, *panacea solari*, & *fol. auri*, *rotule stimulant.* *Myns. c. a. & m.* *essentia satyrii*, *ess. aphrodisiaca*, & quæ largo numero vel *Mynsichtus*, vel alii practici recensent.

Referri huc possunt & *viperina*, quæ in hunc scopum etiam impensa leguntur, ita tamen, ut secundum leges methodi procedat non frustranea empiria. Ita pastæ viperina carne gallinæ ad cibum & potus huic fini impensæ fueret,

re, quorum loco analeptica & aromatica impendi poterint vel rectius, vel usu non abssimili. Tacemus *opiatæ* ipsa, quæ omnino vt sale volatili pollent, aromaticis ambratis facile iungendo, ita spirituum concentrationi, vnitioni & robori inseruiunt, modo non in abusum cedant, quo nomin iam tacta sunt superius *tabacina*.

EXTERIVS colophonem addunt variis generis remedia, vnguenta neruina, ad spinam dorsi, ad lumbos, perinæum, digitos & plantas pedum, addito *zibetbo*, *mosibo* & *oleis destillatis*, *succin. petrol. salu. rosinar. spic. lauendul.* quæ & mercuriali causæ, & v. g. plattulis contra eunt; *ess. castor.* &c. additis frictionibus blandis.

Longum nimis foret huc referre v. g. apoplexiam, paralyfin, hydropem, cachexiam & alios communes morbos, & proprios genitalium tumores, vlcera, fistulas testium & vrethræ, luem veneream ipsam, carunculas, & alia, quippe quæ omnia & singula aliunde sunt petenda. Cum enim opus hoc non sit ægrorum vel neutrorum, omnia reliqua pro sanitate & restitutione in integrum sunt impendenda, prius, quam de hoc cogitetur. Est enim id ipsum de superfluis, quæ vt præsto esse & exerceri desiderant, ita nocere non debent, sed velut superpondium impendi.

His ipsis etiam specificis, si quæ a fascino suspicio adsit, satisfieri potest; neque enim dæmon ultra naturam agere, quicquam valet, adeoque medicus in via regia procedens, longe rectius diuino præsidio fretus, quæ sui sunt officii, facit, vnde vel solis aphrodisiacis, vel neruinis quoque visi sunt curati hoc nomine, vt *hyperico*, *coralliis*, & aliis.

Tacemus extraordinarie & FLAGRA libidinem intulisse, quo de *Henricus Meibomius* & *Bartolinus* scripsere, & legi merentur, seorsim etiam *Meursius* in *eloquio* (seu *Aloysia*,

Sigæa.) Ita, hoc autore, Marchionem verbera excitarunt ad pugnam, alioquin imbellem & ignavum. Virgis cædi sibi nates iuber, vapulat egregie, indeque rentiginem patitur, & venereas capit voluptates; id quod de utroque sexu affirmat, sed nos iam in potiori acquiescimus. Inde enim incallescere partes, & spiritus ac sanguinem affluere vberius, certum est.

Præterimus etiam herbam veneream, a *Theophrasto Eresio* tactam, mirandæ ad languidam venerem deprædicatam virtutis, ut & *Surnag* Africa, ad Atlantem radicem, summe ad venerem excitandam laudatam, & alia.

CAPVT VII.

De

Dieta.

SI in vlllo morbo, sane in impotentia hac vna & præcipua fere medendi ratio consistit in DIETA, seu ipso rerum nonnaturalium legitimo regimine, tum generali, tum speciali, quoad hunc actum.

Parum dicemus de AERE, si solum monuerimus, frigus omne saturninum, seu actuale, seu potentiale, veneri maxime aduersarium. Satis fuerit corpus & partes præcipuas ab eodem defendere, & minimum moderate calido magis uti frui.

De CIBO & POTV dudum Poetæ effato constat, absque Cerere & Baccho frigere Venerem, quasi dicat vi contrariorum, Cereris & Bacchi ministeria esse apprime utilia; uti hinc ieiuniis non locus est, quamuis, ceteris paribus, nec hæc refrenandæ sufficiant, sed naturam expellas furca, tamen usque recurrat.

Ab sine

Absint ergo strictæ diætæ regulæ, sed liberalius inuitetur corpus pleno omnino, non exquisito, victu. Non hic valet monositia, non Theæ potus, non tabaci fumus, non alia laudata, quæ medice vivere pessime vivere edocent. Ast cœna dubia adsit, suggerantur, quæ corpus non tam nutrant, non quæ onerent, quam sufficienter & liberalius inuitent.

Cibi & potus hinc sint boni multique nutrimenti, duræ haud digestionis, vt sunt carnes pullorum, animalium iuniorum, medulla ossium, oua tremula &c. Incitant & semen suppeditant alia quoque esculenta *πολύτροφα*, *passula*, *amygdala dulcia*, *nuces auellane*, *pineæ*, *pistacia*, *dactyli*, *melita*, *condita varia*, *nuces iuglandes*, *moschatae in India conditæ*, *zingiber*. &c. vt *salsa acria aromatica*, *piperata* (seorsim cum lacte sumenda,) *ostreas*, *cochleas*, non laudemus, & *bellaria* varii generis.

Vinum cordi sit, imprimis generosius, Hungaricum optimæ notæ, aliaque eiusdem commatis. Vitentur frigida, acida, mentha, lactuca, in qua olim Venerem Adonidem suum sepeliuisse finxere Poetæ.

MOTVS nimius quoque vitandus, sed quieti & otio, non nimio tamen, magis locus concedendus. EXCRETA & RETENTA ad naturæ componantur leges.

Maxima cura sit in ANIMI PATHEMATIBVS, gaudia adsint, pelle timorem, nec terror adsit, & imprimis Venus ipsa sit Veneris deficientis optimum remedium. In vitio quidem sunt omnino pornodidascali, sed iisdem sano & sobrio sensu omnino egent sæpe simplices & rudes e plebe, qui ignari artis naturalissimæ sane absurda non raro perpetrant ex solo errore, merito informandi rectius.

Idem & in aliis valet, hic enim natura præside turpe nihil est, quod iuris naturæ est, vnde sæpe curati sunt, qui
iure

36 DISSERT. INAUGVR. MEDICA DE IMPOTENTIA VIRILI.
iure vti suo didicere, licet, nescio qua superstitione vel opi-
nione, contraria videas hæc reprobata a sacerdotibus natu-
ræ, aliisque quibusdam.

Obiecta mouent sensus, & venerea quidem medica etiam
sunt omnino. Oculi, manus, sunt in amore duces, modo
omnia decenter fiant. Moderata durant, immoderata ve-
ro & hic maxime noxia. Iuxta *Coum* labor, cibus, potus,
somnia, venus, πάντα μέτρια, omnia moderata.

Plura videantur apud eos, qui ex professo de his scri-
psere, vt *Sinibaldus*, in *Geneanthropia*, *Venette*, de ea-
dem, *Rolfincius* in consiliis aliique.

SOLI DEO GLORIA.

ET laxum & strictum gaudet moderamine iusto;
non minus hic frenis indiget, hic stimulis.
Felix, qui nouit vitiis vtrisque mederi,
inprimis cum res attinet vna duos.

Tu satis arte potens morborum præmia poscis,
fœnore quæ largo noster Apollo dabit.

*Fausla gratulationis ergo ita
applaudit αὐτοῦ ἐδίασιν*

PRÆSES.

